

illud imprimis , quod ab eis id me petere intelligo , qui 1426
præterquam quod plane sentiunt , non Florentinorum magis ,
quam sua interesse , vicinas tyranni opes , velut propinquum
quoddam incendium , restinguere , ita libertatis , in qua &
nata sit civitas & coaluit , studiosi credantur , ut nullus sit
locus , in quo ejus speciem intueantur , quem non incolumem ,
& ab omni injuria (si fieri possit) defensum velint ; oder-
rintque uno ordine tyrannos , quippe quos inimicos , æmulos ,
invidos , hostes libertatis esse non ignorent . Possem ego rei
hujus exempla multa referre , quam infestum Athenienses
Philippum Macedonem habuissent , quam Romani Mithri-
datem , Antiochum , ac multos alios , qui dominandi libidi-
ne , aut certe alienæ libertatis invidia , invicti populi arma
in se temere irritarunt . Sed quid nos vetera aut externa
sequi oportet , quando domesticis abundemus exemplis ? Ne-
mo vestrum est , qui non viderit (ut credo) aut certe a
parentibus quandoque non acceperit , quam acerbum Genuen-
si bello circa Clodiam , inde apud Taurisum Carrarius
Princeps se huic civitati hostem exhibuisset . Quid Lodovi-
cus Rex ? quid alii multi , qui vestrum imperium sollicitare
nunquam destiterunt ? Nobis quoque cum Vicecomitum fa-
milia , quasi bæderitarium , jam inde a Luchini Principa-
tu raro intermissum , bellum durat . Est certe , est hoc natu-
ra comparatum , ut qui suorum libertatem sustulerit , si alien-
nam tollere non possit , vehementer odio habeat . Non pos-
sum ego non beatissimam appellare vestram Rempublicam ,
Veneti Patres , vosque etiam atque etiam fœlicissimos præ-
dicare : quibus Carrarios , perpetuos Veneti nominis hostes ,
prius tollere contigit , quam hic leo violentissimus , cum quo
nobis res est , adolevisset : qui si familiam illam Veneto no-
mini infestissimam , incolumem bis temporibus nactus esset .
non in Bebianis stagnis , ut illi , sed terra , mari , fluminib-
us Venetos adortus , non imperium solum , sed libertatem
etiam ipsam in summum discrimen adduxisset . Præclare ita-
que die illo vobiscum aëtum existimo , quo tam proximum
incendium oppressistis : nisi nimia securitas ex illa victoria
orta periculum , quod vobis ab hoc immanissimo tyranno im-
minet ,